



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

IOSEPHO TOLENTINO S.R.E. Card. DE MENDONÇA

Venerabili Fratri Nostro

IOSEPHO TOLENTINO S.R.E. Card. DE MENDONÇA

Dicasterii de Cultura et Educatione Praefecto

In communione caritatis vivens et operans, ad omne opus bonum paretur (cfr *2 Tim 2, 21*) et omnia sustineat oportet Ecclesia necessitatibus temporum accommodata et, quo fidelium bono aptius consulere quaeat, sollicita omni-um eorundem necessitatum, in vitae in quibus vivunt adiunctis, rite cogno-scere satagat et in hac pastoralis sollicitudine cum iisdem simul adlaboret ad aedificationem mystici corporis Christi (cfr Conc. Oec. Vat. II, *Christus Do-mi-nus*, 16).

Haec considerantes, valde laetamur de septuagesimo et quinto celebrando an-niversario dioecesis Sancti Sebastiani in Hispania canonicae erectionis, quo commodius aptiusque dioecesium in catholico orbe regimini et admini-strationi prospiceretur ac potissimum salutaris fidelium in Vasconum regio-nibus commorantium utilitati consuleretur eosque maioribus instruerentur fi-dei praesidiis, sicuti Praedecessor Noster beatae memoriae Pius XII censuit, cum die II mensis Novembris anno MCMXLIX a dioecesis Victoriensis territorio civilem provinciam vulgo *Guipuzcoa* distraxit, s. Ignatio de Loyola patrono commisit eiusdemque templum iam Iesu Bono Pastori dicato Se-bastianopoli illustri urbe, quae fidelitate nobilitateque et sinceritate dicitur eminens, ad cathedralis eccelsiae elevavit fastigium.

Dum tantam recolimus memoriam, Excellentissimus ac Reverendissimus Episcopus istius dilecti gregis, Venerabilis Frater Ferdinandus Prado Ayuso, C.M.F., a Nobis expetivit, ut christifideles inter sollemnia perfrui possent prae-sentia ac verbo alicuius Eminentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat No-stramque erga istam communitatem manifestet dilectionem. Proinde, huic humanissimae petitioni concedentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, men-tem Nostram convertimus et, qui cotidiano in Nostro ministerio exercendo validum Nobis praestas auxilium in

Dicasterio pro Cultura et Educatione ac fontibus monumentisque ecclesiasticae historiae in nobillima terra Vasco-niae accedere vales, peraptus videris ad Nostram sollicitudinem erga istam Ec-clesiam per hoc ministerium significandam. Proinde, hisce Litteris Te Mis-sum Extraordinarium Nostrum nominamus ad dicta sollemnia, quae die VI mensis Ianuarii, sollemnitate in Epiphania Domini, in urbe Sancti Se-ba-stiani celebrabuntur ad honorandos LXXV annos dictae communitatis ec-cle-sialis foundationis.

Libenter potestatem tibi facimus, dum celebrationi Eucharistiae praeside-bis, Episcopum aliosque sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulie-re-sque necnon publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro no-mine salutandi ac benedicendi, quos sermone tuo ad concordem actionem, e qua clarius ecclesialis unitas eluceat, cohorteris. Caritatem in dominici palae-stra servitii instituendam suadeas, in qua sola socialis omnis et civilis profec-tus ac prosperitas innituntur. Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministe-rium Petrinum precibus committimus totius dioecesanae communitatis om-niumque ibi congregatorum.

Dum tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem Nostram Apostoli-cam impertimur omnibus, qui celebrationi intererunt, trasmittendam, legatio-nem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter exposcentes, ut haec communitas fidelium, s. Ignatii de Loyola interces-sione, Spiritu vivificata, verbo vitae ac divina gratia instructa, amoris Christi nihil praeponat.

Datum Romae, Laterani, die V mensis Decembris, anno Domini MMXXIV, Pontificatus Nostri duodecimo.

FRANCISCUS